


3/2002

KALENDIS SEPTEMBRIBVS

MMII



RUMOR VARIVS



TOMVS 25

FASC. 144

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA,  
in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est,  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Premium subnotationis (annum):

In Helvetia CHF 27.-

In ceteris Europæ terris CHF 32.-

In terris trans maria sitis US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus  
publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, madata mittenda sunt ad domum  
editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS DU LAC

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement  
(jährlich/annual)

Schweiz/Suisse CHF 27.-

Europa/Europe CHF 32.-

Uebersee/outre-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich

Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/Impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)


[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

# PRAEFATIO



Amicae et amici nostri!

Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,  
cumque satis arbusta simul pecudesque virosque  
tectaque cumque suis rapiunt penetralia sacris.

Si qua domus mansit potuitque resistere tanto  
indeicta malo, culmen tamen altior huius  
unda tegit, pressaeque latent sub gurgite turres.  
Iamque mare et tellus nullum discrimen habebant:  
omnia pontus erant, deerant quoque litora ponto.  
Occupat hic collem; cumba sedet alter adunca  
et ducit remos illic, ubi nuper ararat.

Ille supra segetes aut mersae culmina villae  
navigat, hic summa piscem deprendit in ulmo.  
Fingitur in viridi, si fors tulit, ancora prato,  
aut subiecta terunt curvae vineta carinae.

Et, modo qua graciles gramen carpsere capellae,  
nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.  
Mirantur sub aqua lucos urbesque domosque  
Nereides, silvasque tenent delphines et altis  
incursant iamnis agitataque robora pulsant.

Non casu hos versus Ovidii poetae (Met. I, 285-303) vobis propono.  
Certe imagines maximarum inundationum et in Europa velut Germania,  
Tzechia Italiaque et in Asia velut in Sinis, India, Bangladesaque factarum  
memoria tenetis. Imbris maximis de caelo cadentibus fluvii immensas  
aquas altitudinis antea numquam fere visae afferebant et alveos relin-  
quentes totos vicos et partes urbium magnarum velut Pragae vel Dresdae  
submerserunt.

Causas talium eventuum nostra aetate vix iram deorum esse homines  
putant. Potius inter alias causas calorificatio terrae vel mutationes cli-

matis vel alvei ab hominibus correcti dicuntur.

Saepe autem fabulae nucleus verum - ut dicitur - habent et originem ex quibusdam eventibus capiunt, quos variis modis exornant et augment. Multae enim fabulae de inundationibus apud varios populos inveniuntur, praeter eam ab Ovidio narrata exempli gratia illa de eluvione, quam Noah arca facta et paribus omnium animalium receptis effugisse traditur.

Nostra aetate, qua homines quidam omnia sibi licere natura rerum neglecta vel se naturam totaliter regere posse putant, forsitan natura nobis demonstrare vult se etiamnunc magistrum hominum esse.

Valde commoti sumus videntes solidaritatem hominum cum eis, qui inundationibus afflicti sunt: Undique maximum auxilium ferebatur. Pulchrum est videre inter bella et lites nostrae aetatis tamen homines in rebus adversis alias alias adiuvare posse.


Pulcherrimum esset, si homines inter se semper talem coniunctionem et solidaritatem agerent, non tantum casibus adversis et necessitatibus coacti...

Valete!



Daniel Weissmann

## Facete lepideque dicta



## MAXIMA DEBETUR MULIERI REVERENTIA

### (Carminis pars tertia)

Carmen alternis puellarum et puerorum vocibus, cuius singulae strophae constant quattuor glyconii et uno pherecratio.

Ceu favillula per vepres  
crescit indomita et furens,  
ardet igniculus tacens,  
corde in omnia diffluit,  
intus haeret et urit.

205 Cum Canicula init ferox  
et cicada loquax sonat,  
Paula somnia concipit  
cui talum sequitur pigrum  
unda murmure lenis.

210 Languidam Marius capit  
et vagans sabulo brevi  
caerulam locat in Thetin  
impigerque nimium implicat  
dum natat resupina.

215 Non in aequore desinunt  
cara munera consequi,  
nec piget madidos pares  
folle ludicra lubrico  
continenter habere.

220

En lapillus obest frequens:  
transeuntibus haec manum  
lapsa supplicat impigram,  
planta lassa dolet solo  
calceusque vacillat.

225

Ut super vada parva trabs  
quae vagatur iners ducem  
quassa fluctibus expetit,  
tale subsidium rogat  
brachiumque virile.

230

Dextera dominus pia  
sublevat mulierculam  
et medens pavidae ictui  
praeses ut studiosior  
fert larem tenus ulnis.

235

Idem amor patet innocens  
nec malae minuunt cruces.  
Ut pruina perit die,  
amovet tenebras fides,  
fraude priva nitescit.

240



Sauciam iaculo gravi  
cernit ut iuvenis procul  
spiculo imminet ocior  
et cubare iubet sinu  
245 defluente cruento.



Haud gravat labor, haud lues;  
sarcinam tenuissimam  
pectoris miseram premens  
Aesculapii opem petit  
250 obsecratque viator.

In crepidine semitae  
artiole ligamine  
stringit ilia, mox iter  
conficit medicis celer  
255 traditurus anhelam.

Vincit aspera caritas,  
curat ulcera tabida.  
Dum levamina hians avet,  
crura laxat inertia,  
260 terga segnia praebet.

Crebra flamma domum capit,  
tigna devorat horrida.  
Anxius socia comes  
spernit omne periculum:

265 uxor unica vivit  
mente sollicita paris.  
Fata non fugit invida,  
praepes irruit in rogam,  
torribus rapere obstinans  
270 Claudiam trepidantem.

Iam crepat paries labans  
spiritumque vapor premit;  
per fores reserans viam  
aestibusque furentibus  
275 distrahens nebulam atram,  
stigmatum patitur notas  
per vicinum Petrus et suo  
nudam corpore protegit  
coniugem reparans fugam  
280 concitatus utrumque.



Pubis ingenium efficax  
nulla detinet alea.  
Heu repens fremitus strepit,  
pagi et oppida vix manent,  
285 tecta comminuuntur.

Quae ruina animos movens  
altius lacrimas vocat.  
Ruderum cumuli iacent,  
corporum exanimus palam  
290 magnus exstat acervus.

Vox gemens venit abdito;  
currit obvius huc puer,  
multa saxa fodit citus,  
durus inde manus iugans  
295 inguine arripit aegram.

Pulvere oblita cum luto  
flet marita hedera lari  
iunctior gemitus ciens  
et viro duce limitem  
300 fracta perficit acrem.



Servat incolumem a specu  
Iulius tolerans onus,  
mox in aediculis faveat  
hospitae macie et siti  
et fame extenuatae.

305 Grata Flavia vivo  
igne nescia carpitur.  
Quam lubet gremio accipi  
atque taediferam deam  
advocare vicissim!

Mas sagax quotiens videt  
esse diffici loco  
flexilem dominam trahit;  
haec opus meritum adsequens  
310 sospes haurit amorem.

Obrutam aspiciens fretis  
non pavet pelagus minax  
qui rapit miseram vadis  
et sinu impositam refert  
litus ad taciturnum.



325 Sceptra, vir, tua roboris  
nil movere mali valet.  
Me latro auferat efferus  
an timenda cacumina?  
Te quis exsuperabit?

330 Cymba gurgitibus potens,  
gemma roscida palmitis,  
sola nubecula in polo,  
stamen es cytharae vibrans  
delicataque pluma.



335 Vis mea est ubi vis tua,  
ulna praesidium tenax;  
te potest adamas magis?  
Hoc mihi solium viget  
hicque regna tuenda.



340 Fluxa poplite pendulo,  
virga tu tiliae recens,  
memet accipe militem;  
pro salute tua cadam,  
palma te tegat alta.

FLORINDUS DI MONACO  
Italicus Capuanus



## PIGRAMMATA IN FEMINAS MORDACIA


I Vera sus imaginarii hirci uxor  
Ingenito vitio dicis redolere maritum:  
membra sua assidue conscius ille lavat.  
Tu, quasi non egeas saponis, sordibus istis  
incedis solito foetida more ferox.

II De magistra scholasticae commorationis amantiore  
Coniuge lassa tuo, gnatae pertesa molestae,  
obstringi mavis muneribus scholicis.  
Allatis aliis causis, oramus, abesto:  
collegis miseris pax requiesque placent!

III Volubilis coniugii pericula  
Ventosa nihil est femella peius, amice:  
illius arbitrio sole nitente pluit.  
Ne posthac unam dulcem speraveris horam:  
quem tibi tu dederis carcere clausus eris.

IV Facilius quidem est novam sibi comparare supellectilem  
quam mentem  
Alternis annis aedes renovare videtur,  
atque istic rursus malleus en resonat.  
Lusu isto licet oblectes te, femina stulta:  
haud facile inconstans ingenium repares.

V Ridicula speciosaque adulterii excusatio  
Adfirmans pennas tibi praecidisse<sup>1</sup> maritum,  
narraris subito deseruisse domum.  
Exortas numquam, mulier, tibi sensimus alas,  
terrestri potius bestiolae similis.



## VI Cothurnatae puellae timores

Erigeris tantis, virguncula parva, cothurnis,  
more levata novo qui modo convaluit.  
Quid, si isto subito careas fulcimine grandi?  
Hoc timeas, nudo ne iuvet ire pede!



1) pennas praecidere (italic: tarpare le ali) vulgo dicitur, ubi quis altius  
translata significatione volare impeditur.

Orestes Carbonero



## Quis sit philosophus

Xantus cum ad olitorem quemdam olus ipse sibi carpturus venisset, eum lectis herbis, olitor rogavit ut rationem sibi de re obscura redderet, quae cum ad hortos colendos, tum ad philosophiam pertineret: quibus de causis herbae quas ipse satas accuratissime coleret male crescerent, quas terra sua sponte, nullo cultu, nulla emendatione adhibita, gigneret prospere provenirent. Haec omnia Xantus cum ad divinam Providentiam, ut incerti solemus, rettulisset, risit Aesopus seductoque domino suasit ut olitori diceret se ita universe respondisse, quod res ipsius ingenio parum digna visa esset, illum se cum famulo suo relicturn, qui mentem eius profecto dubitatione solveret. Itaque Aesopus, dum in alia parte horti dominus ambulat, terram cum muliere comparavit quae, postquam liberos e priore marito peperisset, alteri viro nuberet e priore quoque uxore liberos iam habenti; his sine dubio fore ut illa invidenter cibumque subduceret, quo liberi sui fruerentur. Sic terram ea quae labor cultusque genuisset invitam sibi adsciscere, in suos vero fetus omnem amorem omniaque beneficia conferre, novercamque illis se præbere, his matrem amantissimam. Quo argumento olitor adeo laetari visus est, ut Aesopo quidquid in horto esset donaverit.

Rettulit Stella GITTA



## PROVERBIA



## HISPANICA


*Si no fuese el necio al mercado, no se vendería lo malo.*

*Stultus nisi iret in forum, mala non venderentur.*

\*

*La trucha y la mentira, cuanto mayor, tanto mejor.*

*Et cyprinus et mendacium, quo maius eo melius.*



*Habló el buey, y dijo 'mu'.*

*Locutus est bovis, et dixit 'mu'.*

\*

*Cría el cuervo, sacarte ha el ojo.*

*Educe corvum, et tibi oculum effodiet.*

\*

*No te hinches y no reventarás.*

*Ne te infles et non rumperis.*

\*\*\*\*\*

*En pleito claro no es menester letrado, en oscuro no hay ninguno.*

Clara in causa causidico non opus est, obscura in causa nullus invenitur.

\*

*Asno con oro, alcánzalo todo.*

Asinus auro onustus omnia adipiscitur.

\*

*Todas las cosas quieren maña.*

Rebus omnibus sollertia opus est.

\*

*Mentir no cuesta dinero.*

Mentiri pecunia non constat.

\*

*Armas y dineros, buenas manos quieren.*


Et arma et pecunia bonas manus cupiunt.

\*

*No es villano el de la villa, sino el que hace villanía.*

Non ille, qui rure oritur, rusticus est, sed ille, qui rustica agit.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



**Quomodo Richardus Strauss Iosephusque Gregor fabulam Daphnes antiquam interpretati sint  
(Prima pars)**



Quamquam omnibus satis notum est drama illud musicum, quod *Daphne* inscribitur, eodem anno confectum esse quo vel Béla Bartók *Devertimentum fidibus peragendum* vel Igorii Strawinsky concentum, qui *Dumbarton Oaks* inscribitur vel Pauli Hindemith *Matthiam Pictorem*, Richardus Strauss, ut eo tempore solitus est, hoc opus melodiis suavissimis, lumine quodam autumnali radiantissimis donavit. Quamquam modi huius dramatis musici redolent plus sonoris atque saporis quem dicunt *romanticum*, quam dramata musica ipsius Richard Strauss priora, velut *Salome*, velut *Electra*, tamen reddunt etiam spiritum quendam, qui imprimis Vindobonae saeculo undevicesimo exeunte surrexit, in annos crevit, etiam nostra aetate multis et variis floribus viget. Sed priusquam hanc rem inspiciam, nonnulla mihi dicenda sunt de fabula Daphnes arte musica priscis temporibus exornata, deinde de fontibus, e quibus Strauss et poeta Vindobonensis Iosephus Gregor, qui fabulae libellum composuit, hauserunt, tum de incremento huius operis et de singulis partibus, denique de vi doctrinae illius, quae est de hominum animo, qua doctrina, quae etiam *psychologia* nominatur, Strauss Gregorque fabulam illam perantiquam quasi novam reddiderunt. Profecti sunt ambo via per aspera ad astra. Qua paululum illos comitemur!

Genus illud fabularum arte musica exornatarum, quae in scaenam producuntur, adhuc ne quattuor quidem saecula viget. Nam saeculo sexto decimo exeunte nonnulli Italiae septentrionalis principes dies festos ludis scaenicis fabulas antiquas continentibus exornare voluerunt. Qua de causa melodiarum inventores poetisque clarissimos adduxerunt nescio qua mercede, ut fabulas antiquas quasi in priscum statum restituerent, cum pro certo haberent cum tragoeidas tum carmina temporibus antiquis vel partim decantanda vel partim instrumentis exornanda fuisse. Hoc erat in fatis, ut primus amor Phoebi "renascentis" iterum *Daphne* esset. Ludum enim scaenicum modis musicis exornatum confecerunt Octavius Rinuccini textus compositor et Iacobus Peri inventor melodiarum. Qui ludus scaenicus Apollinis cum Pythonne pugnam, amorem dei,


puellae fugam, Daphnes mutatae nuntium continet. Quod drama musicum modo melodiis orbatum ad nos pervenisse maxime dolemus. Item Henrici Sagittarii, musicae inventoris Germani, qui diu in Italia studiorum causa versabatur, primus amor Daphne fuit, habuitque eadem fata eius ludus scaenicus, cui Martinus Opitius verba praebuit; nil enim nisi textus ad nos pervenit. Etiam drama quoddam musicum Georgii Friderici Haendel, quod fata Daphnes continet, eodem modo interisse quo cetera, quae supra laudabamus, valde dolemus. Tamen licet cognoscere, quantum fabula Daphnes in operis theatalibus valuerit. Erat enim illa fabula primum nil nisi spectaculi appendix, qua Apollo Pythona necat; deinde fugam atque mutationem Daphnes magno apparatu viri callidi rerumque scaenicarum peritissimi machinabantur, ut omnes, qui ad ludum spectandum aderant, quasi vero miraculo stupefierent. Itaque usque ad saeculum duodecimum melodiarum inventores fabulae Daphnes valde faverunt; quae postea compositoribus nescio qua de causa minus grata fuit quam antea.

Fortasse non ignoratis Ovidii *Metamorphoseon* libro primo fabulam Daphnes divulgatam esse; inde omnes qui puellae fabulam modis musicis exornare studebant, imprimis Ovidii Daphnen ante oculos habebant, ubi fata puellae ex Apollinis superbia nascuntur. Legimus enim apud Ovidium haec:

*Primus amor Phoebi Daphne Peneia; quem non  
fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira.  
Delius hunc nuper, victo serpente superbus,  
viderat adducto flectentem cornua nervo  
'quid'que 'tibi, lascive puer, cum fortibus armis?'*  
*dixerat, ita decent umeros gestamina nostros,  
qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti,  
qui modo pestifero tot iugera ventre prementem  
stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis,  
tu face nescio quos esto contentus amores  
inritare tua nec laudes adsere nostras.'*  
*filius huic Veneris 'figat tuus omnia, Phoebe,  
te meus arcus' ait, 'quantoque animalia cedunt*



*cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra.'  
dixit et eliso percussis aëre pennis  
inpiger umbrosa Parnasi constitit arce  
eque sagittifera prompsit duo tela pharetra  
divisorum operum: fugat hoc, facit illud amorem;  
quod facit, auratum est et cuspidē fulget acuta,  
quod fugat, obtusum est et habet sub harundine plumbum.  
hoc deus in nymp̄ha Peneide fixit, at illo  
laesit Apollineas trajecta per ossa medullas.<sup>1</sup>*



Nihilominus Richardus Strauss, melodiarum inventor ille Bavarus, in secessoribus huius generis numerari nullo pacto potest. Cuius opera theatrales, quae *Daphne* inscribitur, neque ab aetate, quae a renascentibus artibus nuncupata est, neque ab Ovidio ipso originem traxit; immo vero et Iosephus Gregor poeta et Strauss compositor mythographos antiquos lexicis variis conditos, ne dicam: abditos atque conservatos adhibuerunt, cum fabulam Daphnes in scaenam producendam curarent. Coniunxerunt enim duorum mythographorum, Parthenii ac Palaephati, fabulas summoque studio earum rerum, quas illi nudis verbis rettulerant, causas quaeviserunt, invenerunt, probaverunt, enucleaverunt. Quo factum est ut ambo in fabula Daphnes tractanda maxime differant a prioribus, quia Daphne non est tam persona quaedam fabulosa ab Apolline quodam ex improviso oppressa summoque in discrimine in arborem mutata, quam imago cuiusvis puellae, quae novo vitae itinere profectura tamquam in bivio haesitet, rebusque amatoris parum notis afflita nesciat, quo declinet. Paucis igitur verbis nunc demonstrabo, quomodo Strauss Gregorique fabulam illam Daphnes antiquam suis consiliis cogitationibusque adaptaverint.

Daphne, Gaeae atque Penei filia, pridie solstitii, quo Bacchus sacris sollemnibus celebrari solet, lumini solis cedentis quamvis invita valedicit, cum demonstrat sibi naturam totam, lumen solis, imprimis arbores magis cordi esse quam homines. Itaque et amorem Leucippi iuvenis vehementer repudiat, qui, cum se post hanc arborem celaverit, quam Daphne fortuito amplectitur, subito emicat et amorem suum confitetur. Gaea mater autem asperitatem puellae verbis mollibus lenire conatur

eamque docet etiam amorem haud alienum esse a natura. Postea duae servae vestimentum pulcherrimum apportant, quo induta Daphne diem Bacchi sollemnem celebret; at puella vestimentum repudiat. Postquam Daphne cum matre domum intravit, servae Leucippo persuadent, ut vestimento Daphnes indutus diem festum inter pueras latens agat. Interim Peneus pater familias caterva pastorum circumdatus coram omnibus vaticinatur Apollinem ceterosque deos, qui olim terram reliquerunt, mox redituros. Quibus verbis pastores Gaeaque maxime perturbantur. Qua in perturbatione Apollo deus specie pastoris ignotus accedit. Cum ceterorum mentes paulatim sedentur, tantum Peneus non ignorare videtur, quis se falsi pastoris forma celare conetur.

Deinde Daphne iussu patris domum relinquit, ut hospitis commodis inserviat. Apollo autem forma puerae stupefactus ad genua eius procumbit. Qua re Daphne maxime perturbatur. Tum pastor falsus verbis signisque parum manifestis significat, quis sit. Daphne autem, quamquam eum non agnoscit, tamen verbo *fratre*, quem gradum affinitatis pastor ille sibi ipse vindicat, penitus commovet. Postquam audivit verba illa, quae ipsa diei cedenti dixerat, pastori peregrino bene nota esse, cum Apollo invicem amorem Daphnes confessus sit, inter se amplectantur osculanturque. At Daphne oscula non talia esse rata, qualia fratrem sorori ferre deceat, maxime perterrita ex amplexu dei se explicat.

Interim omnes, qui adsunt, diem Bacchi sollemnem deum invocantes celebrant. Ecce venit Leucippus vestimento muliebri indutus, qui puerae poculum porrigit, ut potet. Inde sodales chorus sollemni incedere incipiunt. Quam simulationem Leucippi aegre ferens Apollo detegit fraudem. At Leucippus minime ignavus partes muliebres diutius se agere non patitur et coram omnibus cupiditate ardens amorem suum Bacchi opem implorans confitetur. Daphne tunc bis se defraudatam putans et pastori et Leucippo maledicit, adhuc ignorans, quis se forma pastoris occultet. Tunc Leucippus iam deum quendam falsa forma tegi suspicatus vestem pastoralem deo abripere conatur; etiam Daphne poscit, ut pastor ille mirus confiteatur, quis sit. Apollo denique



verbis fulminibusque demonstrat se manifestum deum esse stupentibus cunctis Daphnenque exhortatur, ut se sequatur. At Daphne verba dei repudiat. Postremo Leucippus male ratus Daphnen sibi favere indidemque Apollini maledicens a dei sagitta ictus concidit atque animam efflat. Daphne tunc lacrimis obortis mortem iuvenis deplorat, eheu, sero intellegens se non modo amatam esse a Leucippo, sed et ipsam amavisce et adhuc amare iuvenem. Neque manet immutabile Apollinis ingenium: cognoscit enim, quantum ipse peccaverit eodem dolo usus ac Leucippus, quo ambo non modo Daphnen, sed etiam Bacchum fallere conabantur. Itaque Leucippo necato, qui Bacchi cultor fuerat, Apollo veniam fratri orat et ab Iove patre petit, ut Daphnen sibi reddat mutatam, sacerdotalem arborem. Daphne autem dolore gravissimo oppressa, postquam aliquamdiu apud Leucippum mortuum morata est, in domum properare conatur; at radicibus subito retentata paulatim in laurum mutatur, ex qua arbore puerae vox protinus resonat.

Hanc fabulam Iosephus Gregor non suo Marte, sed Richardo Strauss adiuvante confecit. Qui melodiarum compositor duo poetas summis ingenii praeditos paulo ante amiserat: Hugonem de Hofmannsthal, qui, postquam eum textibus variis donavit, anno millesimo nongentesimo undetricesimo de morte filii voluntaria certior factus vitam naturae redidit. Exinde Stephanus Zweig, qui ei successerat, drame *Mulieris Tacitae* musico perfecto se ex labore communi recepit, cum Imperii Tertii quod dicitur administratores multis modis ei obtrectarent. Tum Zweig ipse Iosephum Gregor apud Strauss successorem sui esse voluit, quem poetam doctum sive doctorem poetam Strauss primum invitus ad textus conscribendos adhibuit. Nam per litteras inter eos missas novimus, quanti Strauss poetam fecerit.



Werner Schubert  
Heidelbergensis

1) Ov. Met. I, 452-473

(Dissertationis pars altera in proximo libello sequetur)

## Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE  
SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR!  
DIES VLTIMA KALENDIS OCTOBribus EST! SOLVTIONES IN VNO  
LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT:      primum praemium                    LIBER  
                          secundum et tertium praemium        LIBELLVS

1. dea Graeca nocturna
2. arbor et Apollinis et Bacchi deorum sacra (Acc.)
3. venustati vel gratiae
4. deus Graecus, qui potentissimus putatur (Gen.)
5. urbs Graeca in Locride regione sita (y=i) (Dat.)
6. iecit vel expulit

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					



Daniel Weissmann

## ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS ("Romulus der Grosse") comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

### Comoediae pars sexta

NUNTIUS CITATISSIMUS: Germani in Via Appia incedunt versus meridiem! Germani in Via Appia incedunt versus meridiem!

TULLIUS ROTUNDUS: Videtis. Versus meridiem. Iter faciunt in nos ipsos. Vix locuti eramus de nuntiis atris, denuo talem accepimus. *Mavors in villa appetet.*

MAVORS: Navem actuariam longe lateque non inveni.

TULLIUS ROTUNDUS: At aliqua est in portu Neapolitano.

MAVORS: Quae transnavigavit ad Germanos.

TULLIUS ROTUNDUS: O caelum, mariscalce imperialis, nave egeamus! MAVORS: Conabor invenire naviculam piscatoriam.

*Abit. Administer rerum domesticarum indignatus est.*

TULLIUS ROTUNDUS: Vah omnia paravimus ad Imperium e Sicilia denuo constituendum, in animo habemus reformationes sociales et assecurationem invaliditatis operariis portuensibus offerendam. At vae nunc omnia vacillant, quia deest navis!

*A sinistris praefectus titubans per scaenam transit.*

SPURIUS TITUS MAMMA: Phy foent res adustae. Numquam desinunt foetere. Ardent oculi.

*Gallinae gracillant. A sinistris accedit Caesar Runcina.*

CAESAR RUNCINA: Mei Domini. Spero vos lento pectore cognovisse Roma cum perierit, Imperium valere ne tittibilium quidem. Cum Imperium Romanum decoxisset, tum proelio devicta est; suo Marte non iam se servare potest.

AEMILIANUS: Quis es tu?

CAESAR RUNCINA: Sum Caesar Runcina, possessor negotiationis mundanae Runcinariae.

AEMILIANUS: Quid vis?

CAESAR RUNCINA: Omni viro politico haud prorsus inepto sole clarus est Romam non posse servari nisi ego nonnullos miliones sestertium erogavero. Cum rem obtulerim sincerissime, postulo, ut mihi decenter respondeatur. Aut vultis aut non vultis. Aut mundus triumphabit aut peribit. Aut ego sponsam ducam in domum meam aut Imperium collabetur.

AEMILIANUS: Quid hic luditur, administer rerum domesticarum?

TULLIUS ROTUNDUS: Odoacer assensus est pretio decem milionum exercitum suum ex Italia deducere. Hic - fabricator bracarum - paratus est ad hanc summam solvendam.

AEMILIANUS: Qua condione?

TULLIUS ROTUNDUS: Cupit Ream principissam in matrimonium ducere.

AEMILIANUS: Arcesse principissam.

TULLIUS ROTUNDUS: Sentin' -

AEMILIANUS: Et fac aulici congregentur.

*Administer rerum domesticarum init in villam.*

AEMILIANUS: Faciam ut tuae oblationi respondeatur, fabricator bracarum.

*A dextris praefectus titubans trans scaenam prodit.*

SPURIUS TITUS MAMMA: Per centum horas non dormivi. Centum horas. Sum fatigatus, tam fatigatus sum, ut concidam.

*In ianua villaे apparent Rea, Tullius Rotundus, Zeno, Mavors, Sulphurides atque Phosphoridos camerarii.*

REA: Me advicare iussisti, Aemiliane?

AEMILIANUS: Veni ad me.

*Rea lente venit ad Aemilianum.*

AEMILIANUS: Per tres annos me exspectavisti, filia Imperatoris.

REA: Per tres annos, diem de die, noctem de nocte, horam de

hora.

AEMILIANUS: Tu amas me.

REA: Te amo.

AEMILIANO: Totan' anima tua?

REA: Tota anima mea.

AEMILIANUS: Omnian' facies, quae a te postulavero?

REA: Omnia faciam.

AEMILIANUS: Cultrumne quoque capies?

REA: Cultrum capiam, si tu volueris.

AEMILIANUS: Tamne inauditus est amor tuus, filia Imperatoris?

REA: Amor meus tui est immensus. Te non recognosco, sed te amo. Te timeo, sed te amo quoque.

AEMILIANUS: Ergo nube huic nitido semicupae eidemque pare liberos.

*Digitō monstrat Caesarem Runcinam.*

ZENO: En tandem occidentalem Romanum, qui est mente sana!

AULICI: Nube, principissa, nube!

TULLIUS ROTUNDUS: Age puella, da hoc beneficium patriae carissimae!

*Omnē oculis emissiciis Ream aspectant spe imbuti.*

REA: Tene derelinquam?

AEMILIANUS: Debes me derelinquere.

REA: Aliumne amem?

AEMILIANUS: Debes amare eum, qui servare possit patriam.

REA: At amo te!

AEMILIANUS: Itaque te abicio.

REA: Vin' me sic vitiare ut tu ipse es vitiatus?

AEMILIANUS: Faciendum est necessarium. Italia pascetur nostra infamia, nostra contumelia reconvalescat.

REA: At si me amas, istud non postulas.

AEMILIANUS: Hoc non postularem, nisi me amares.

*Puella virum aspectat horrore perfusa.*

AEMILIANUS: Obtemperabis, filia Imperatoris. Amor tuus est

Hier bitte  
frankieren

immensus.

REA: Obtemperabo.

AEMILIANUS: Eris uxor illius.

REA: Ero uxor illius.

AEMILIANUS: Ergo porrige manum illi fabricatori bracarum, qui est pectore lentissimo.

*Rea obtemperat.*

AEMILIANUS: Nunc acceperisti manum unicae filiae Imperatoris, Caesar Runcina, et vitulo aureo imposta est corona imperialis. Nam tempore hodierno lenocinium facta est virtus, si comparatur cum sceleribus inauditis, quae inferuntur generi humano.

*Caesar Runcina commotus est.*

CAESAR RUNCINA: Principissa, fac credas mihi: Lacrimo sincerissime. Nulla umquam negotiatio universalis ad tantum culmen sublata est ad quantum Runciniana hoc foedere in vitam facto.

*Oboriuntur fumi volumina ingentia.*

MAVORS: Imperium est servatum!

ZENO: Europa servast!

SULPHURIDES: Canamus oden salutarem, Maiestas.

*Zeno et duo camerarii se consistunt more militari.*

IDEI VIRI TRES: O Byzantium, gaude et iubila!

Caelum ascendit gloria, fulgor pervenit ad caelum.

Nostra fides, nostra spes

vanae non fuere:

Eia sumus servati.

TULLIUS ROTUNDUS: Statim desinite comburere archiva!

VOX ACHILLIS: Ecce Imperator!

Fumus dilabitur, in ianua medius inter aulicos apparet Romulus, post eum Achilles et Pyramus, qui gerit corbem planum. Silentium.

Subnoto RV, ut ipse accipiam  
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius  
inscriptio cursualis supra indicata est  
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-  
ment für jemanden, dessen Adresse oben  
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-  
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-  
mentsrechnung ist zu senden an):  
-----

Ort, Datum: -----

Unterschrift: -----

RVMOR VARIVS  
C/o EDITIONS DU LAC  
Estelle GITTA  
Ch. F.-Lehmann 2  
1218 Grand-Saconnex

Comoediae pars septima in proximo libello sequetur!


PP/Journal

4702 Oensingen

3/2002

KALENDIS SEPTEMBRIBVS

MMII



RVMOR VARIVS



TOMVS 25

FASC. 144